



Disputatio medica inauguralis de dysenteria

<https://hdl.handle.net/1874/343810>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA,

QUAM

AUSPICE DEO OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academici Consensu, Nobilissimaeque

Facultatis MEDICÆ Decreto,

PROGRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite
& legitimè consequendis,

Publico examini subjicit

WILLEBORDUS POTTH, AMISFURTENSIS.

Ad diem 15. Octobris, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc Ioc xcii.

Nobilissimo , Amplissimo , Consultissimo

V I R O ,

D. P E T R O
VAN DAM , J.U.D.

Collegii ad res Orientalis
Indiae gubernandos conscri-
pti Advocato , Consiliario
dignissimo.

*Theses hasce Inaugurales ,
semet ipsum*

D. D. D.

WILLEBRORDUS POTI.



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
DYSENTERIA.

THESSIS I.



Dysenteria de qua hic acturi sumus, est vocabulum Græcum ex ἀργε, difficerter, & ἐντερον intestinum, compositum. Ita ut ex nominis etymologia omnibus intestinorum difficultatibus & morbis accommodare possimus. In specie tamen sumitur pro isto intestinorum morbo, cui frequens, cruenta, purulenta ac dolorosa alvi ejactio, & plura alia symptomata adsunt, de quibus in sequentibus amplius tractabimus.

I I.

Dysenteriam igitur definimus; quod sit variorum humorum cœruleo & pure permixtorum cum alvi intenso dolore, cui plurimum febris acuta adest, frequens excretio

I I I.

Subjectum Dysenterie sunt omnia intestina, tam tenuia quam crassa, quæ id cum ventriculo commune habent, quod ex tri-

4 DISPUTATIO MEDICA

plici membrana constant: eo tamen cum discrimine, quod secunda ventriculi, intestinorum est tertia. Præterea multis glandulis sunt prædita, ut etiam ventriculus, per quas lympha separatur, quæ segregationi chyli postea inservit.

I V.

Causæ dysenteriæ sunt varia, & propterea ab autoribus distinguuntur. Et præcipue in causam proximam, conjunctam seu continentem, antecedentem, & procatarcticam.

V.

Causa proxima est soluta unitas sive anastomosis seu apertio arteriarum mesenteriacarum, quæ in maxima copia per mesenterium diffuminantur, & osculis suis in intestina præsertim tenuia terminantur.

V I.

Causa continens est bilis & succus pancreaticus acrior, tam acidus quam salinus, tam volatilis quam fixus, qui aculeis suis pungentes & scindentes, juxta Hippocratem semper in sanguine nostro reperiuntur. *Inest enim, inquit, in sanguine amarum & falsum, dulce & acidum, & sexcenta alia.* In statu tamen naturali sive bene temperato secretionem & dilutionem chyli valde facilitant. Ita ut eo in statu ubi æqualiter inter se mixti & temperati sunt, ut partes aliquæ eorum præ aliis prædominium nullum obtineant, hinc fiat, ut hominem nec lädere, nec turbas in œconomia animali excitare possint.

V I I.

Causa antecedens est vitiosa sanguinis qualitas sive cacochymia, quæ varia est, biliosa, viscida, salsa, pituitosa, vel deinde melancholica. Considerandum hic est, cacochymia biliosa, quam una cum succo pancreatico depravato hic tanquam primariam causam antecedentem suppono, semper acidum acre inesse.

V I I I.

Constat sal acidum ex particulis rigidis, figuræ brevioris in parte superiore & inferiore ac etiam lateribus acuminatis, hinc est quod sua efficacia membranarum texturam disrumpat, arte-

ria-

riarum extremitates sive oscula aperiat : unde sanguinis effusio-
nem & ulceræ procreant. Notari tamen velim, lympham acrio-
rem & salivam acidam , dum multis ejusmodi particulis armatæ
sunt, non parum huc facere. Ex antedictis ergo facile colligi
potest, diarrhœam sæpe dysenteriam prævenire ; unde vomitus,
nausea & cætera.

I X.

Fuerunt quidam qui intestinorum ulceræ non admittunt ; at-
tamen aliter expertus, ista cum Paulo Barbette statuo, præser-
tim in vehementi & diurna dysenteria : nam in praxi sua ca-
pite de dysenteria dicit : *Ulcus profundum difficillime curatur, cu-
rabile tamen est.*

X.

Causa antecedente explicata, orde postulat, ut nunc de cau-
sa procataractica agamus, quam ex sex rebus N. N. indagare
possumus, aëre, cibo & potu, motu & quiete, somno & vi-
giliis, excretis & recentis, & denique animi pathematis.

X I.

Aër itaque calidus & siccus sanguinem nimio motu agitare
potest, ita ut spiritus animales per insensibilem transpirationem
avolent, & sanguinem quasi acriorem factum relinquant : qui
iterum ad intestina delatus dramata sua instituere incipit. Aër
frigidus & humidus, qui multis particulis acidis & nitrosis sca-
tet, poros cutis constipat, unde per consequentiam insensibi-
lis transpiratio sufflaminatur, & lymphæ ac serum augetur, quæ
postea particulis heterogeniis repletæ iterum secundum circula-
tionis leges sanguini admiscentur, & non parum ad producen-
dam dysenteriam tribuunt. Exhalationes subterraneæ activitate
caloris solis, vel igni innato ex terræ visceribus expulsæ, ex
multis corpusculis acidis, salinis, muriaticis, sulphureis & aliis
sunt compositæ, præsertim quando ex ista terræ parte attollun-
tur, ubi mineralium maxima copia est, & postea per aërem
propulsæ cœconomiam humanam non parum afficiunt : ita ut
inde morbi epidemici, ut febres pestilentiales, & dysenteria exo-
riantur, uti sæpius observatum est. Ægrotorum quoque ef-

6 DISPUTATIO MEDICA

fluvia , tam ex excrementis , quam ex ipsorum corporibus non parum huc conferunt . ut præterito hieme in oppido Charleroy expertus sum inter milites , qui propter multitudinem duodecim aut tredecim simul uno in contubernio militari habitare congregabantur , in quo tria aut plurimum quatuor cubicula collocata erant : nam ubi unus ex ipsis ægrotabat , primò sibi accumbentes infecit , postea nemine (nisi uno sorte) exempto , qui procul dubio fortioris ac robustioris constitutionis fuit , contagium istud se in orbem agitavit , cum multorum interitu.

X I I.

Examine aëris breviter factò , cibus & potus examinandi veniunt , qui quantitate vel qualitate sçpissime peccant . Quantitate peccare dicuntur , quando alimenta majore copia assumuntur , ita ut fermentum ventriculi & saliva subigere illa nequeant , præsertim si in ore non bene masticata & salivâ permista sunt : ut Clariß. Waldsmi in Institution. Medicin. Rational. ubi de chylo & sanguine agit , docet . Decem bolos probe masticatos & salivali menstruo humectatos atque solutos felicius in ventriculo concoqui , quam unum non masticatum . Qualitate peccant alimenta duriora , viscida , salsa , quæ in ventriculo in humores mucosos , & acidos digenerant . Symbolum huc quoque conferunt fructus immaturi , ut uvaæ recentes , nuces , pomæ , pyra , pruna & multi alii , qui humores acidos , auferos & viscidos reddunt , ut jam diversis in castris expertus sum . Tempore quoque nocent alimenta , quando prioribus nondum satis fermentatis , nova sumuntur . Nocent etiam omnia quæ sali acido corrosivo armata sunt , ut arsenicum , cantharides , mercurius sublimatus corrosivus , & alia venena , ut ex Cabrollo patet , qui refert quandam virum , qui quartana febri laborabat , ex usu cantharidum , quas vetula illi ad expellendam febrem præscripserat , in priapismum incidisse , unde brevi post , subsequentे sanguinis profluvio mortuus est .

X I I I.

De potu id nobis repræsentandum est , quod supra de ali-
mentis

mentis diximus. Quantitate valetudini noxius est, si durante fermentatione ventriculo immittitur, ejus fermentum diluens, cruditates viscidas generans, alimentaque antequam bene sunt digesta ad intestina propellens, eo modo laxatione membranarum ac valvularum diarrhææ & Dysenteriæ occasionem præbet. Qualitate peccat, quum cerevisia est novella & per fermentationem fæcibus nondum liberata; vel si ex aquis turbidis, quibus multæ mineralium particulæ insunt, vel ex prunis silvestribus cocta est, vel si longo tempore in vasis ærcis vel stan-neis est servata, ex quibus acrimoniam acquisivit.

XIV.

Post cibum & potum inter sex res N. N. motus & quies con-numerantur, qui excessu vel defectu peccantes non parvas perturbationes & incommoda in œconomia animali procreare que-unt. Nimius enim motus spiritus & succorum particulas flui-diores dissipat, qui nim. Spiritus una secum per poros, hoc in casu nimium referatos, subtiliores sanguinis particulas balsa-micas educunt, quæ alias ad infrænandam acrimoniam humo-rum non parum valent, adeoque sanguis depauperatur ac acrior redditur, & causa vitiosæ digestionis & sanguicationis fit. Im-moderatus quoque motus, ut ex antedictis patet, peregrina fer-menta ex intimis partibus expellit, quæ ibi veluti consopita la-tebant, & in effervescentiam exagitat, & malam perturbatamque sanguinis mixturam profert, ac intestinorum motum peristal-ticum auget, unde primo diarrhæa, postea vero Dysenteria exoritur. Nimia vero quies contrariæ operationis est: Spiritus animales ad inserviendum œconomia animali torpidos ac ini-doneos reddit, sanguinis circulationem impedit, transpirationem sufflaminat, & separationem variorum circulantium humorum per glandulas & vascula excretoria restagnat, unde variæ san-guinis impuritates viscidæ, acidæ, acres in humano corpore re-manent, ex quibus cacockymia natales suos adipiscitur.

XV.

Sommus & vigiliæ eadem pene effecta, quæ motus & quies, edunt: ea tamen cum differentia, quod sommus nimius pe-jor

8 D I S P U T A T I O M E D I C A

jor est longiori quiete, & motus nimius nocentior vigiliis excessivis.

X V I.

Excreta & retenta in ordine rerum N. N. nunc sequuntur, & luce meridiana clarius est, quantum commodum fabricæ humani corporis inde exsurgat: scilicet si ista quæ secundum naturam excernenda sunt, emittantur, & retinenda detineantur. At contra, si excernenda retineantur, & retinenda expellantur, maximum humana statua inde trahit incommodum, ut uno in casu in nimiis hæmorrhagiis, & altero in nimiis suppressionibus, ut in impedito menstruorum fluxu, videre licet. Interim hoc in morbo, de quo hic agimus, retinendorum excretio, minor morbi causa est.

X V I I.

In enumeratione rerum N. N. ultimo loco recensentur animi pathemata, inter quæ ira & tristitia præ cæteris majoris sunt efficaciaz. Nam ira bilem, cui hoc in casu acidum acre inesse existimamus, humores agitat, illorumque motum inordinatum producit, & in sanguinis massa varias ebullitiones & effervescentias excitat, & tandem ad intestina propulsa vomitum, cholera diarrhæam & ipsam Dysenteriam producit. In tristitia & incertore, propter sanguinis parciorem è corde emanationem, cordis orificia quasi paulisper constringuntur, sanguinis circulatio impeditur ac incrassatur, & lympha spiritibus animalibus destituta humani corporis functiones segniores reddit, unde sæpe humorum colluvies nascitur.

X V I I I.

Dysenteriæ causis enucleatis, ad signa me conseruo, quæ sunt vel diagnostica vel prognostica. Diagnostica morbum vel appropinquantem vel præsentem, ejusque causam & partem affectam indicant. Appropinquare Dysenteriam cognoscitur ex febri præcedente, & abdominis tortuibus, quæ à particulis acidis acribus membranarum fibrillas vellicantibus & pungentibus producuntur, & nobis mediante spirituum animalium motu doloris ideam repræsentant. Præsentis Dysenteriæ signa in ejus de-

definitione supra recensuimus. Causarum signa ex excretis desumuntur, quæ emissæ pro varietate coloris, serositatis pituitos & dejectionis originem suam à biliosis acidis acribus, vel humoribus serosis & pituitosis traxisse judicantur. Pars affecta vel subjectum sunt intestina, & habent signa ejus utilitatem suam in præfigiendo, an intestina tenuia vel crassa lœsa sint. Nam in crassis dolor non est adeo acutus & molestus ac in tenuibus. Præterea post fodiicationem tenuium non statim, ut crassorum, dejectio sequitur.

XIX.

Signa prognostica præcipue Dysenteriæ eventum indicant, & sunt vel salutaria vel lethalia. Salutare est signum, si brevis est & absque febri, si vires neccum sunt prostratae, & appetitus non languet. Nam uno die alvum fluere, saepè pro valetudine est, atque etiam pluribus, si absit febris & intra septimum diem conquiescat. Lethale vero est signum, si longum durat, si febris acuta & singultus adest, & vires sunt imminutæ.

XX.

Post causarum ac signorum tam diagnosticorum quam prognosticorum explicationem, ordo requirit ut me ad curationem accingam, quæ præcipue in pharmacia & diæta consistit. Pharmacia nobis remedia ad tollenda symptomata & morbum sanandum suppeditat. Morbi causa præ cæteris tollenda est; nam sublata causa tollitur effectus. Fit id remediis evacuantibus & leniter adstringentibus, ac humorum acrimoniam temperantibus. Attamen maxima doloris, tanquam indicationis symptomata urgentis, habenda est ratio. Tandem ulcera consolidanda proveniunt. Inter evacuantia primum locum obtinent illa, quæ simul leniter adstringunt, ut rhabarb. tost. syrup. de cichor. cum reo: nam majora adstringentia hic non concedimus. Natura ipsa enim sat adstringit, ubi à materia acri liberata est. Considerandum hic etiam est evacuantia semper parciore dosi exhibenda esse, ut

B

R. Rha:

10 DISPUTATIO MEDICA

R. Rhubarb. leviter tost. Di. 3.

Conseru. rosar. antiqu. 3j.

Nam omnis subita mutatio est mala, quod remedium interdum iterare possumus.

XXI.

Evacuatione peracta, humores acres temperandi sunt: hoc in casu proficua sunt alterantia & leniter incrassantia, si tenues, acres ac agiliores sunt, & febri concomitantur. Qualia sunt mixturæ ex Aq. menth. plantagin. spermat. ranar. confect. hyacinth. corall. syrup. cydon. lacrym. sang. dracon. quibus gr. unum aut alterum laudani opiat. addi possunt. Conveniunt etiam decocta hordei, ex radicibus contrajerv. scorson. cichor. raf. C. C. ebor. & capit. papav. composita, & emulsiones ex seminibus oleosis paratæ, quibus addatur syrup. req. Nicolai. Si humores acidi acres, & viscidi peccant, prosunt remedia absorbentia, terrestria, quæ sale alcali vel volatili oleoso constant, quæ aculea acidi acris obtundunt vel in sinibus suis abscondunt & viscida incident. Quibus diaphoretica admisci queunt: ut diascord. Fracastor. confect. alkerm. ocul. cancer. corall. rubr. bezoard. mineral. succin. antimon. diaphor. & omnia testacea quæ sale alcali scatent. Pulvis quoque Daelmanni, quem in tractatu de Medicina reformata in capite de Angina describit, hic prodest. Sunt qui humores peccantes vomitorii expellunt; sed ista non conveniunt, nisi principio morbi assuetis & robustis, & qui nausea quoque ob ventriculi saburram laborant. Attamen prudenter praescribenda sunt, & sunt diaphoretica ac diuretica praestantiora: cum plus debilitent quatuor per os, quam decem per alvum, ejectiones. Dolores mitigantur anodynus, quæ per os vel per anum ingeruntur: inter illa quæ per os assumuntur, numerantur diascord. Fracast. theriac. recens, gumm. tragacanth. arabic. mass. pilul. de cynogloss. de styrac. syrup. papav. camphur. laud.

I N A U G U R A L I S. II

laud. opiat. & omnia quæ ex opio præparantur, quod Doctor Bontekoe omnium remediorum Herculem appellat. Clysteres componuntur ex lacte bubulo, therebinth. Venet. ol. olivar. vitello ovi & melle rosar. aut violar. quibus alia pro medicis lumen addi possunt. In vehementissimo autem doloris & fluxus paroxismo, ne vires nimis subito prostrantur, utuntur adstringentibus & narcoticis: veruntamen prudentissime, ne fluxus intempestive sistatur, unde postea apoplexia, hydrops, abscessus & alia incommoda proveniunt. Ulcera facilius curantur, si parva & non nimis profunda sunt, quam alias. Curationi profundit bals. copayv. peruv. bals. sulphur. therebinth. succinat. item decocta ex vegetabilium herbis & radicibus composita, ut ex rad. consolid. major. aristoloch. herb. sanicul. pyrol. agrimon. alchimill. & cæteris.

X X I I.

Remediis pharmaciæ propositis, ad diætam propero, quæ in legitima administratione sex rerum N. N. consistit. Aër itaque sit moderatus, ne transpiratio impediatur, & materia peccans in corpore humano detineatur, sed ut levi diaphoresi executiatur, valent suffumigia, præsertim quando aër contagiosus est, ex lign. junip. myrra, aloë & similibus.

Cibus sit facilis concoctionis, & omni aciditate & salfedine carens, & qui particulis balsamicis oleosis prædictus est, ut juscule vitulina, gallinarum, pullorum, gelatina C. C. item lac dulce cum hordeo, oryza, avena & pane biscocto compositum.

Potus sit cerevisia tenuis ex hordeo cocta, & bene defœcata.

Omnis corporis motus vitandus, quies vero permittenda est, cum nimio motu sanguis & spiritus animales exagitentur, & consequenter motus copiosiorem dejectionem procreet.

Quies contra intestinorum ulcera citius curat.

Somnis longior bonus, at vigilia propter nimiam spirituum consumptionem malæ.

Alvi dejectiones statim removendæ sunt.
Quantas perturbationes & mutationes animi pathemata adferre possunt œconomia animali, ex præmissis satis patet: propterea angue pejus vitanda sunt: Atque hæc sunt, quæ divino auxiliante numine de dysenteria dicere in animum induxeram.

F I N I S.

